



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Silvester Papa. 31. Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

31. Dec. VITÆ SANCTORVM.

633

mali cedere, pedibus Dii se & templa sua subster-
nere: quibus permotus Comes cum vi.militibus
fidem nostram est amplexus. PHILETÆRVS cùm
Eubiotum virum sanctitatis famâ celeberrimum
adiret, monitus hic ab Angelo bono obviam Mar-
ryri progressus est. In ejus antro Divum septimo
die, socios verò duodecimo, ab exilio mors ab-
solvit. Ex Menseis.

*Quare tuum bonum. Nemo bonus nisi unus Deus:
summum bonum hoc est bonum tuum. Pecori quid bo-
num est, nisi implere ventrem, dormire, gestire? Tale
tu bonum queris? Coheres Christi quid gaudes, quia
socius es pecorum? S. August. in Psal. 102.*

S. SILVESTER PAPA.

31. Decembris.

Patriæ ATRIA SILVESTRO Roma, Romæ, hoc est, pa-
triæ, pater ipse SILVESTER fuit. Hoc tamen
orbare Romam Urbis probrum Tarquinius vo-
luit. Sed SILVESTER ad tribunal citatus, novo
more morte judici reus indixit. Dictum, factum.
Piscem dum cœnat, os forte ex hoc gutture re-
ceptum Tarquinius hamum mortis esse sentit.
Post hæc dum Constantinus remissius rem Chri-
stianam curat, & sopitæ nuper iterum in pios per-
secutiones recrudescunt, exul SILVESTER mon-
tem Soraeten insidet; impietatis fœditatem, ut
videret Imperator, leprâ inficitur. Sacrificuli, le-
pram ut abluat, balneas è parvolorum sanguine
fuscent. Ingemuere ad consilium impium omnes
Romanæ matres, cùm audirent sanguini, quo
vel manum aspergere scelus semper non expian-
dum habitum est, totum velle Imperatorem in-
natare; certè innatare rectius tot matrum lacrimis

D d 5

jam

jam poterat. Et verò ejulatus, & comploratio totâ urbe facta aures Imperatoris exoravit, factique pœnitens, censuit ipse hoc quoque ingens scelus esse, facere scelus voluisse. Interea principum Apostolorum species dormienti oblata vocare SILVESTRVM jussit, qui sanctiores illi thermas ostenderet. Vocavit, & Christianis undis lotus, lepram corporis animique exuit. Triumphum SILVESTRO mortuo anno CCC.XXXV. cælum decrevit. Ex Baronio.

Mittitur Virginis Filius, Filius Dei altissimi, & jubetur occidi, ut vulneribus meis pretioso sanguinis sui balsamo medeatur. Agnosce homo, quām gravia sint vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari. S.Bern.serm.3.de Nat.

S. BARBATICANUS CONF.

31. Decembris.

BARBATICANVS Sacerdos Antiochiâ Romam venit, credo ut virtus viri, & prodigia facilius inde in orbem se diffunderent. Etenim cum sub adventum suum cæcum, alteramq; oculis laborantem puellam curasset, oculos omnium in se vertit: & cum servulum Imp. Valentiniani per scalas præcipite in pedes erexit, ipsum sibi Imperatorem devinxit. Igitur à Placiâ Augustâ Ravennam deductus, auctor huic cœpit esse, ut D. Joannis, quem Euangelistam dicimus, honori templum augustum moliretur. Persuasit, & ubi ad fastigium fabrica fuit deducta, ecce ipse Divus Joannes Pontificali habitu insignis ædem sacrare visus est, & miraculi vestigium sandalium dextri pedis Augustæ relinquere. Atque hoc templum, cum illi jam totum se BARBATICANVS addixisset,

miras-